

3111

C O D I C E S

3112

22. Jan. *Vincencium martirem*, 3. Aug. *Inuencionem sancti stephani*, 23. Nov. *Clementem papam* miniatos habet. In litiis *Ferreolus* et *Ferrucius* invocantur, unde superior de *Bisuntio*, seu *Vesuntione* coniectura roboratur.

DCCCLXXV.

954 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 150. 4. maj. exaratus in membrana tota atra, caractere textus argenteo, titulorum vero aureo, splendidissimum Artis graphicae simul et pictoriae Monumentum, marginibus passim cum sacrarum, et profanarum figurarum, quas inter monachi habitu Lupum Corti concionantem, et Simium Simio barbam radentem videas, tum elegantissimo Florum ornatu divitibus, praeterea Iconibus XV. grandibus mysteria patientis Christi potissimum referentibus conspicuus, in quibus e fundo atro aureae lucis ope veluti protuberantibus Pictoris ars mire se commendat, *Horarium* est, cujus Κριστυ Frons loquitur Ducatus *Mediolanensis* exhibens Insignia, quibus adjectum: GZ. MA. DX. MLI. QNTVS. nempe: *Galeazius Maria* (Sfortia) *Dux Mediolani Quintus*. Circumsistunt Emblemata tria, quorum unum Carduos fativos seu Cynaras tres florentes ostentans germanice, quod mirere, inscribitur: *Mit Zait*. Bis insuper adpictus est fustis altero extremo inclinato flammans, altero elevato antlias binas suspensas gerens, Sig-

num fortasse Pictoris, quod tamen apud *Cbristum* non reperi. Jam, quae *Codice* continentur, haec sunt: *Calendarium*, in quo aurei 6. Febr. *Amandus ep.* 14. Jun. *Basilus ep. et conf.* 25. Jun. *Eligius ep.* 3. Jul. *Translacio Thome ap.* 1. Sept. *Egidius abbas et conf.* 1. Oct. *Remigius et bauo.* 9. Oct. *Dionysius*, non martyr, sed *ep. et conf.* 1. Dec. *Translacio Sancti eligij.* 14. Dec. *Nychasius ep. et mart.* Unde opus in *Belgio* pro *Italia* curatum videtur. Sequuntur *Horae de Cruce*, de *S. Spiritu*, *Missa de B. V. M. IV.* e totidem *Evangelistis Evangelia*, quibus omnium quatuor in uno conclavi scribendo occupatorum Icon jucunda praefigitur, *Horae B. V. M.* etiam pro *Adventu*, *Psalmi de Poenitentia* cum *Litaniis*, et *Vigiliae Mortuorum*. Codicem holoserico purpureo tectum, phalerisque argenteis deauratis asperum *Larario Austriaco* non dubitem illatum fuisse inter *Κερανικα* *Blancae Mariae Sfortiae Galeatii* supradicti jam a. 1476. a *Conjuratis* interemti filiae, quam *Maximilianus I.* a. 1494. secundam uxorem duxit.

DCCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 981 XV. Folior. 154. 4. luculente et eleganter scriptus, titulis aureis, literis initiorum deauratis, picturatis, marginibus multis singulari ornatu figurarum partim e sacra historia, partim e Veterum numis, gemmisque scalptis insigni peni-

3113

LITURGICI.

3114

penicillo, quem *Italum* habeo, repraesentatarum speciosis, et picturas IV. grandes non minoris artis exhibens *Horarium* est frequentia complexum: *Calendarium*, in quo nihil peculiare, nisi quod ad 4. Maji *Corona domini* auro notatur, et ad 24. Nov. *Cbryfognus mart.* quod pariter *Italiam* innuit. *Horae B. V. M.* et quidem *secundum consuetudinem beati dominici et fratrum predicatorum.* Imagini his praefixae subiecta sunt Insignia juncta illustrium *Hispaniae* profapiarum *Guzmaniae* et *Mendozae*, quae in pag. opposita redeunt. Officium pro Mortuis. Psalmi de *Poenitentia* cum Litaniis, quibus additae Orationes ad Sanctos Ord. Praed. Missa de *S. Maria.* Officium Crucis et *S. Spiritus.* Preces variae, quas inter p. 151. lemma *D. Johanni Bapt.* adscriptum: *Ecce Angnius Dei*, os *Italum* prodit. Serius in *Hispania* censurae subiectum *Codicem* fuisse, verba probant, quae ad calcem leguntur: *Vistas y aprobadas* (las Horas) *en Madrid. OSub. 20. 1573. El Doctor beredia.* Ex Thecae anfulis superior exhibet Capita jugata cum Epigraphe *OLRVMO. EREM.* litera *I* minore in secunda *O* inclusa; inferior nomen *MARGARITA.* Utraque vitro testata *Oedipum* poscunt. Artis antiquae amatoribus gratae fortassis sint Picturae superius indicatae e Numis, Gemmisque depromptae.

DCCCLXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. 964 XV. Folior. 122. 4. caractere crasso eleganter perscriptus, literis initiorum deauratis et picturatis, et XX. Frontispiciis, quorum prima litera, ut cum *Italio* pictoribus loquar, *historiata* est, pari cultu divitibus, *Horarium* est in *Italia* paratum, ut vel sola suaderet ornatus miniatorii ratio, etiam si cetera argumenta deessent. Praeit *Calendarium* inversis per errorem Compactoris Semestribus, in quo peculiariter notantur Sancti *Neapoli* culti, ut adeo *Codex* illuc respiciat. Ita 2. Apr. *Neapoli. Sancti iohannis ep. et conf. 17. Maji. Neapoli. Sancte restitute virg. &c.* Sequitur *Officium beate marie virginis secundum consuetudinem romane curie.* Psalmodia de *Poenitentia* cum Litaniis OO. SS. Officium de *Cruce*, de *S. Spiritu*, quod *Papa Benedictus XII.* (1334 — 42.) composuisse dicitur, demum *Officium Mortuorum.* *Pag. ult.* adscriptum: *Hieronymi Calagrani Episcopi Montis Regalis.* Non vero *Montis* illius *Regalis*, qui in *Sicilia* Archiepiscopatum habet, sed ejus in *Pedemontio*, qui vulgo *Mondovi* adpellatur, cujus Ecclesiae insignia, Crucem argenteam in area rubra, praefert etiam Frons picturata fol. 13. Atque ea tardius adpicta fuisse autumo, postquam nempe *Codex* in possessionem dicti *Hieronymi* venit. Quid enim Praesuli *Pedemontano* cum *Calendario Neapoli-*